DISSERTATIO
INAUGURALIS POLITICO-MEDICA
DE
EDUCATIONE LIBERORUM
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS
ET DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM
REGIAE
SCIENTIARUM UNIVERSITATIS
HUNGARICAE
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDA

edidit

Bernardus Rosenbaum,
Bohemus Jenikoviensis.

Theses adnexae defendentur in Palatio R. S. Universitatis.

PESTINI.
TYPIS LANDERER ET HECKENAST.
1844.

Gratum est, quod patriae civem, populoque dedisti,
Si facis ut Patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum, et pacis rebus agendis.

Juvenalis Sat. 4.

Alles können wir nicht Alle,
Sehe jeder wie er's treibe,
Sehe jeder was er schreibe,
Und was er schreibt, daß es gefalle.

Der

theuern verehrungswürdigen

Mutter

und

den Manen seines ihm unvergesslichen

Vaters

widmet diese Blätter voll kindlicher Liebe und Dankbarkeit

der Verfasser.

§. I.

Varias hominis aetates perlustrando, quivis facile comperiet, eum nusquam sibi sufficere, sed aliorum semper ope indigere. Enimvero si eum in puerili aetate consideres, dic, quaeso! qua ratione tenellus infans vitam servare posset, nisi sedula parentum cura ipsum foveret, regeret, aleretque? Alioquin nudus, humi jacens, aëris inclementiae expositus, vel cito inedia consumeretur, vel belluarum ferocium praeda factus, vix in lucem editus miserabiliter periret. — Sed fingamus eum Adolescentiam assequi; nisi tunc parentum, aliorumve hominum consiliis erudiatur, et auxiliis adjuvetur, quid erit aliud, quam ferox quoddam animal, diversas animi dotes ignorans? — Cum igitur ea sit hominis conditio, ut imbecilior multo nascatur omnibus animantibus, longissimoque tempore alienae opis indigus sit, nemo certe sanae mentis erit, qui *Educationis* summam dignitatem, inevitabilemque necessitatem in dubium vocaverit. —

Multis tamen cum molestiis conjuncta est hominis educatio, hinc providentissimus naturae Auctor et Gubernator, qui omnes felices esse vult, et ut esse possint, sapientissime omnia disponit, paternam instituit societatem, in qua homo

omnia ea persentiscat commoda, quae eidem tum ad vitam, tum ad educationem necessaria sunt, quaeque sibi ipse procurare non valet. Quo vero libentius a Parentibus tot curae, aerumnae, ac fastidia, quae sejungi a prolium educatione nequaquam possunt, exhauriantur, tenerum illum iisdem erga prolem indidit amorem, qui onera omnia levia reddit.

Ceterum ut finis educationis ex integro assequi possit, requiritur, ut proles educandae sint sanae et robustae nam infantes a natura jam debiles, morbis haereditariis aut congenitis adfecti, etiam penes optimam educationem, nunquam illum culturae assequentur gradum, quem firmi, robusti, vigore pleni et ab omni vitio immunes soboles adipiscerentur. Ut autem proles progenerentur sanae et robustae, Parentes illarum firma gaudeant valetudine est necesse. Societatis enim tam privatae, quam publicae felicitas et salus non in eo solum consistit, ut auctam se prole videat, secus enim felix esset quoque civitas infirmo, miseroque vulgo, et Lazarethis impleta; atque hinc suapte intelligitur, ut debiles, senes, morbis exhausti, Scrophulosi, Rhachitide, Arthritide, Syphilide adfecti, aut fluxu habituali obnoxii; vel morbis nervorum gravibus, uti: Epilepsia, Catalepsi, Chorea S. Viti, Asthmate, aut Haemoptoe, Phthisi, Febri hectica laborantes matrimonio potius renuncient, quam ut semet adhuc infeliciores reddant, nam huiusmodi morbi per Matrimonium certe non tolluntur, sed potius exasperantur, altera quoque pars sana, morbosa evadit; infantes nisi miseri, debiles, imbecilles, morborum parentum participes, nec diu viventes generabuntur; Zelotypiae, discordiis, ruinae domesticae et divortiis ansa praebetur, et sic vita utriusque partis abbreviabitur. — Ut igitur vegeti procreentur infantes, requiritur: Aetas legitima et proportionata personarum matrimonium contrahentium; talis erit, si vir ad minimum 10 annis fuerit senior foemina (Juvenis homo cum vetula penes omnem

opum abundantiam vix beabitur): Nec nimium juvenilis, nec senilis aetas generationi favet. — Utraque pars sit relative sana; si morbus adsit, qui tamen curari potest, ille ante matrimonium tollatur. — Requiritur porro amor mutuus; conjugium coactum, aut e finibus secundis contractum, nullatenus favet propagationi, adhuc minus educationi. Denique ut sana et robusta, atque numerosa progenies sperari possit, multum confert recta puellarum et masculorum ante initum matrimonium informatio, et quidem: Ut neocopulati sciant sibi moderari in negotio sexulai initio matrimonii, quando vir uxori et haec viro debitum matrimoniale denegare possit, uti: tempore menstruationis, graviditatis, puerperii, lactationis; neque bonum est coitum celebrare statim post pastum, post sumpta spirituosa, aut tempore affectus. —

§. II.

Neque tamen sana et robusta obtinebitur progenies, nisi gravidarum, et foetus in utero contenti cura habeatur; ob nexum immediatum inter foetum et matrem, omnes influxus noxii in matrem agentes, ipsi quoque foetui perniciosi fiunt. Plures igitur circa gravidas regulae erunt observandae; et quidem:

1. Respublica gravidas ab injuriis omnibus tueatur oportet; incrementum enim populi, in cuius studio summum Civitatis principium situm est, aliter digne promoveri nequit. Idcirco ita dictabit leges, quarum vi omnes et singuli stringerentur in gravidas certis moribus duci, et qui reniterentur, hos poenam luere jubebit. Curet itaque Respublica:

a) Ut gravidis honor suus et protectio sua undique tribuatur. — Nam inter amplexus amoris conjugalis primum germen, a quo futurus homo olim evolvetur, in sinum suum recipiunt; i. e. concipiunt, gravidae fiunt. Hoc in statu

supremum suae vocationis in hac vita culmen adtingunt, atque parvum referunt mundum, in quo novus iterum homo creatur, et illustris Creatoris gloria relucet. Illae praecavent, ne genus humanum fame, bellis et peste in perniciem abripiatur, illae speciem suam perenni ratione conservant. Hanc dignitatem gravidarum jam prisci suo valore condecoraverunt; nam antiquissimi aevi historia jam jura quaedam et privilegia, quae iis tribui solebant, memoriae posterorum tradit. Ita Hebraei contra Moysis legem feminis gravidis, dum nimium adpeterent, carne suilla vescendi jus tribuere. Aegyptiis lege sancitum erat, ne gravidae poena mortis dignae ad hanc prius damnentur, quam partum enixae fuerint; ne sic integer vitae scelerisque purus, quem gerebant, fructus in interitum ruat. Athenienses gravissimarum scelerum reas, per Asylum apud gravidas quaesitum, salvas fieri admiserunt, et supremum eorum tribunal, Areopagus, lege vetuit, ne gravidae, etsi homicidium patrarent, ante partum vita privarentur. — Ipsa Roma, terrarum Domina, summum honorem gravidis impertita est; neque subjici inquisitionibus, neque jurare, neque exilio puniri poterant; sacrae literae grandem poenam dictant omnibus. qui gravidae quamcunque demum laesionem intulerint. — Etiam sequentium saeculorum, et aevi nostri exempla pro reverentia earumdem pugnant. Sic legibus Galliae omnis inquisitio criminalis apud gravidas vetita est. Et Romano-Catholicae in orbe universo juribus aegrarum gaudent, a jejuniis, a genuflexione sub cultu divino penitus exemptae. In regno Hungariae vigore part. 2. tit. 27. qua testes juramentum corporale nunquam praestant; sed solum ad felicem partus exitum jurare tenentur. — Haec igitur, aliaque similia, quamquam honorem et protectionem gravidarum vindicent, ad plenam tamen earum dignitatem minime sufficiunt, nam fructus, quos ferunt, pericula, quibus exponuntur, miseriae quibus pre-

muntur, longe graviora sunt, quam ut iis recensiti favores adprime respondeant. Ac ideo

b) Severae ubique ferantur leges contra omnes in eas injurias, praecipue contra percussores ventris, qui ens innocuum facile necare possunt. Verba etiam acria in illas explosa severe vindicentur, nam his quoque ira, terror, tristitia produci, his iterum innumera mala, matri et proli gestae insidias molientia excitari solent. Praeluceat Respublica verbo et exemplo civibus universis, ut in periculo constitutas consolentur, juvent, et quibus fortuna mediorum vitae minus favet, has pro viribus suis auxilio suo fulcire non intermittant. — Ast non tantum mechanicae eiusmodi potentiae nocentes, verum dynamicae quoque gravidis et foetui suas infligunt noxas. Idcirco

c) Ordines Reipublicae eo quoque tendant oportet, ne seu publicis, seu privatis terreficis spectaculis interesse ausint. — Exempla loquuntur funestos terroris effectus, quo factum est, ut perculsis prius nervis matris, uterique subita contractione suborta, ipse foetus non raro expulsus, et qui expelli non poterat, futurae vitae suae tristi stigmate notatus existeret! — Dum a dictis spectaculis arceantur, videndum est una, ut objecta terrefica quoque privatis coërceantur aedibus. Huc imagines pictae aut sculptae, monstra referentes, huc omnes charactere monstrorum notati, huc mutilati, laesi, syncoptici, et epileptici censeri merentur. Et sane quampiam sint, qui influxum imaginationis matris in foetum aut rident, aut acrius negant; facta tamen et fides virorum dignissimorum, sua pro eodem porrigunt argumenta. *C. L. B. van Swieten*, sed et *Boërhavius* multa hanc in rem scriptis prodidere suis. Ut igitur etiam ex hoc visus puncte Reipublicae magna incumbat cura. — In eorum, quae dicta sunt, nexu etiam

d) Narratio et lectio rerum horridarum a gravidis remo-

veri debet. Quis nescit, quantas unicum saepe verbum in animo mutationes inducit, quae electrici ictus instar totum mox feriunt corpus? Quid igitur sibi verba horrida potestatis in gravidas, praesertim magna irritabilitate gaudentes, adrogent, sua sponte patet. En, quod veritatem prodit, exemplum! Mater filiae suae gravidae, alto mane sua gaudia depromsit, hanc tam placide dormivisse, ut incendii sub noctem orti inscia terroris poenam evaserit; — verum filia audita incendii voce, subito contremuit, metrorrhagiam et una abortum passa, id, quod apud *Suetonium* legere licebit. — Civitatis igitur intererit curare, ne horridae historiae diariis pro Matronis, aut diariis popularibus, e quibus mox per omnium ora circumferuntur, et gravidis noxam inferre possunt, tam frequenter inserantur.

e) Saluberrima lex jam fere ubique lata est, qua severe prohibetur, ne obstetrices, pharmacopoei, aliique profani talia porrigant remedia, quibus foetus expelli, imo mater quoque in periculum conjici potest, inter quae Emetica, Catharctica, Stimulantia, et Venaesectio praecipuam attentionem merentur. Sed vero virtus legis huius nondum tanta est, ut, non dico sancte stricteque, sed nec quidem laxe plurimis in locis servetur. — Quid quod in urbibus nonnullis anus de foro, talia pharmaca levissimo prètio lapsis vendere non raro consueverit? et apud quaestores variarum materiarum, saepe etiam apud dardanarios an non omnia vilibus nummis hunc in finem servitura comparari possint? — Noscuntur in obscuris quoque villis mulierculae, quae parvo lucro impia consilia gravidis casu indere, et media ad scopum necessaria dictare non verentur. Optandum est igitur, ut hoc objectum Respublica magnopere curet, et legem circa illud latam semper et ubique in plenum deducat effectum. —

2. Maritus uxorem a laboribus gravioribus dispenset,

quam mansvetissime illam tractet, circa finem graviditatis solitariam nunquam relinquat; ubi se uxor male senserit, illico de auxilio prospiciat. —

3. Caterva malorum saepe gravidas et foetum ferit, quam illae sibi proprio vitio, neglectis omnibus in hoc statu vivendi legibus, contrahunt, atque sic abortibus horumque sequelis insignem praebent occasionem. Idcirco miramur illicita gravidarum opera non raro, et illas obligationum suarum leviter oblivisci merito querimur. — Neque hic invehi acriter in sexum gratia et dignitate plenum, sed solum commemorare volo, jam priscis temporibus exstitisse tales, hodieque existere, quas non malitia, sed levitas animi ad negligenda eiusmodi officia sat celeriter abripit, id quod neque *Ovidii* attentionem fugit, dum canit:

„Nunc uterum vitiat quae vult formosa videri;
Raraque in hoc aevo est, quae velit esse parens.“

Haec, me hercle! nec ipsae bestiae ferae patrant, eo minus homo, lumine rationis praeditus, patret, necesse est. Itaque

a) Cum universim quoad vitam recte tuendam, omnia, quae modum excedunt, eidem noxia sint; vitandus est gravidis nimius corporis motus. Exulet igitur sidere ardente omnis vehemens commotio, id quod praecipue de debilibus et plethoricis valet; exulent labores duri, diutius peragi soliti, exulent denique saltus, equitatio, per strata viarum lapidea curru vectio, verbo, omne nimium activi et passivi motus genus, circulum humorum nimium augens, majoremque inter eos et vasa conflictum concitans. Ast quemadmodum parte ex una motum immoderatum, ita ex altera quietem quoque nimiam gravidae quidem universae, sed inprimis constitutione laxa praeditae, et anomaliis alvi

obnoxiae, canc et angue peius evitare dignentur, in iis enim jam ob continuum uteri incrementum, circulus humorum non penitus normae conformiter agitur — si vero accedat nimia sedendi libido, thorace introrsum flexo, si et usus thoracum sub hocce situ locum habeat, ingentia inde damna sequi, casta adnotavit experientia. Atque ex his momentis moderatus motus, praecipuum servandae sanitatis fulcrum, quo cordis actio adjuvetur, et ita circulatio debite expediatur, tantum abest, ut prohibeatur, ut potius sollicite suadendus sit. —

b) Legem quoad motum juste ac modarate exercendum, excipit alia, qua cibi et potus praescribitur usus. Victus itaque gravidarum sit temperatus, digestio facilis, non nimium stimulans, adeoque nec quantitate, nec qualitate peccans, potus spirituosi, nisi iis adsuetis parca solum quantitate concedantur.

c) Relationes hominis variae, varium quoque vestitus genus eligunt: neque quis tam pertinax erit, ut eandem, quam rigida hyeme, fervidis etiam aestatibus geramus pelleam vestem. Id utinam utero gravido benedictae omnes agnoscere vellent foeminae! sed quo virgines olim usae, eodem gravidae quoque in sui foetusque ruinam, et summum Matrumfamilias dedecus uti vestitu plusquam desiderant, studio servandae, vel mentiendae, quae virginibus competit formae. Ideo non tantum thoraces, toti etiam sexui noxias, non reponunt, sed insuper firmis fulcris prominentem ventrem reprimere, circulis item ferreis aut de balenae ossibus factis eundem cingere vane noverunt. Sed vero foetus mole crescit, antrorsum sursumque fertur, atque ideo ventrem extendit, organaque sibi vicina premit, in functione sua impedit: an sub hac rerum positione vestes thoracis non sint relaxandae? Ita spasmis corripitur uterus, accenditur,

ad latera cogitur, atque suo justo debitoque situ turbatur, ut non raro abortus sequatur; verum secus etiam foetus usque partum servatus contusionibus, formae deflexibus, et vitiis organicis notatus in lucem saepe prodit, ut potius paratos ferat, quam contrahat, in hac vita morbos. Sexus alter in Syria nunquam thoraculis vincitur, et ideo maximus partuum numerus facile peragitur. —

d) Multae leguntur historiae in scriptis medicorum, e quibus elucet, abortus frequenter sine mensium discrimine, quos graviditas percurrit, a nixibus ortos, atque gravidis non innoxios fuisse; dum itaque nixus a voluntate multum dependeant, debiles et plethoricae a nixibus abstineant, ne repetita pressione uteri, idem exacerbatus, ingenta copia sanguinis matrem, et vita immediate foetum spoliet. —

e) Magnam stragem utero gravido infert coitus. — Si conjuges omnes huius rei gravitatem solertius, libentiusque perspicere vellent, magnus abortuum numerus, e gravidarum regno exularet. Sed proh dolor! quam multi sunt parentes, qui vix enti novo vitam tribuere, jam illud effreni voluptate interficere pergunt. — Ideirco non tantum leges canonicae gravidas a praestando conjugali debito dispensant, sed etiam plures gentes legem tulere, ne utero foeto mulieres cum maritis congrediantur. — Consulite vobis igitur gravidae, et quamdiu fructum utero geritis, tamdiu cum viris commercium fovere nolite!

f) Superest quoad vitam etiam psychicam postremam adhuc adducere legem. — Affectus animi omnes tam grati, quam ingrati, tam exaltantes, quam deprimentes variam in omne corpus actionem exerunt, sed apud gravidas omnes tamen in illud conspirant malum, ut spasmis aut inflammatione fluxuque sanguinis uterini provocatis matrem et foetum simul, aut alterutrum in perniciem abripiant. — Vitent ergo nimias animi adfectiones gravidae, vitentque

socii homines, ne in iis quacunque ratione vehementes excitent adfectus, praesertim deprimentes. —

§. III.

Parturientes quoque summam requirunt adtentionem, necessarium itaque hac ex parte erit, ut obstetrices bene institutae publico stipendio alantur, nam obstetrices ignarae, necessariis graviditatis phoenomenis in lucem eruptis, haec statim pro abnormibus declarant, remedia commendant, quibuscum inocenti inscitia morbum tollere velint, foetui et matri labem inferunt saepe indelebilem. Summas praeterea noxas inferunt obstetrices, quae dolores ad partum veros a spuriis distinguere nesciunt, quippe orificio uteri adhuc clauso partum urgent, matris vires exhauriunt, fluxum sanguinis non raro lethalem producunt, foetum in angustias redigunt, huncque et matrem imperitia sua, et rudi manu dulci spoliant vita. Quid si perversus utero, aut foetui situs obtigerit, vel aliae calamitates obortae fuerint? An haec non egeant plena rei peritia? Sed me hercle! sicut publice institui, ita quoque publice ali debent. Enimvero plurimae gravidae tantis aerumnis expositae gemunt, ut praestiti auxilii valorem, dum intime vellent, rependere non possint, atque sic vel sibi relictae, vel rudibus manibus traditae una cum prole, quam gerunt, supradictis malis coacto modo subjiciuntur.

§. IV.

Partu feliciter absoluto, curandum erit: ut Mater Puerpera et proles incolumes serventur. Ante omnia puerpera quietem observet summam, sola non relinquatur, sed continuo observetur; an placide respiret, an calor corporis

sit amoenus, investigetur abdomen, an uterus debite contrahatur, et si anomaliae quaedam observentur, illico medicus advocetur. — Somno, quo vires restaurantur puerpera brevi tempore, et sub vigili oculo indulgere protest. Causae hoc tempore maxime nocentes sunt: laetitia summa, clamor, terror, timor, tristitia, ira, indignatio, aer corruptus, quietis denegatio, refrigerium, retentio excrementorum, denegata lactatio, excessus in esu et potu, secretionum normalium turbatio. Ut igitur haec omnia quam solertissime vitentur, haud satis commendare possum.

Neonatus, funiculo umbilicali suo modo deligato et abscisso, ponatur in balneum saponatum, moderate calidum, investigetur dein: an non aliqua deformitas adsit, etsi quidpiam abnormis observetur, illud non statim matri, sed tantum cognatis dicatur, et statim de auxilio prospiciatur. Neonatus ablutus et siccatus linteo calido involvitur, et uberibus adponitur. — Circa neonatum sequentia erunt observanda: Balneum nec sit nimis calidum, sed nec frigidum. Primis tribus mensibus omni die adhibeatur balneum tepidum, dein omni secunda die; 6. mense aetatis infantis balnea frigidiuscula 18^0 adhiberi possunt, attendendum tamen semper, ne refrigerium admittatur, sudante corpore nunquam in balneum ponatur, neque diu in illo relinquatur, et cito siccetur. Nimia corporis frictio, non secus ac absurda quaedam praejudicia, ut lotio cum secundinis, expressio mammularum non est toleranda. Si frenulum linguae adcretum esset, id unguibus solvere, vel vero aliud vitium obstetricibus corrigere nefas est, haec medico sunt committenda. Strenua neonati fasciatio repudianda, non secus ac impertitio baptismi hieme rigidissima cum aqua gelida propter noxios effectus reprobanda; aestivo autem tempore curandum ne insolatio locum habeat. Quod nutritionem infantis attinet, haec in genere

sit ordinata. Quoties per diem ubera ei exhiberi debeant, determinari non potest, sed quotiescunque post somnum pacatum clamat, digitum ori impositum sugit: uberibus adponi potest; non tamen et istud certum famis est signum, nam saepe clamant ob strenuam fasciationem, aut ob immunditiem; munditics adeoque non potest sufficienter commendari. — Mammae post singulam lactationem aqua tepida abluantur, et alternis vicibus exhibeantur, nunquam tamen illico post pastum, motum corporis vehementiorem, coitum, raecipue autem iram, tunc enim lac semper alteratum est. Syrupos purgantes absque consilio medici exhibere vetitum est. — Usus cunarum est reprobandus. Lectulus infantis sit simplex, potius durus quam mollis, infantem plumis obruere noxium est. Infantem in eodem lecto cum matre aut nutrice per noctem relinquere periculosum est, infans enim facile suffocari potest. — Neque consultum est infantes in cubili obscuro relinquere — facile enim amaurosis evolvitur — sed aeque attendendum, ne radii lucis in oculos incidant, malum quoque est, si infantes ex latere fenestram aspiciant, unde strabones evadunt. —

§. V.

Interim non satis est liberos a Parentibus procreatos fuisse sanos et robustos, at tales ut maneant etiam curandum. Eos proprio — si sana firmaque corporis constitutione gaudeat — matris lacte esse nutriendos, non alienis uberibus tradendos ipsa docet natura, quae mulieri dedit, quidquid ad munus illud requiritur.

> Ecce mihi assurgunt passim applauduntque canenti
> Matres atque viri, quorum pia pectora tangit
> Prolis amor, quernaque intexunt fronde coronam
> Servanti cives, et funera acerba moranti

Non tibi displiceat, quisquis fuit ille sophorum,
Qui quondam edixit jucundi ut lactis amicos
Haud alio potius, quam matris ab ubere rores
Exsugat puer, atque alimenta beata capessat.
Hoc adeo rerum illa parens, hoc optima poscit
Natura, officiique pias in tempore matres
Almonet, et soboli prudens accingit alendae.

Scaev. Sammarth. Praedotroph. L. I. et L. III.

Ceterum matris non secus ac liberorum interest, ut eos ipsa nutriat. Matris quidem, quae nisi id facia, nimia affluentis lactis copia graves sibi morbos accersit, uti: febrim puerperalem periculosissimam, mammarum inflammationem, suppurationem, indurationem, Leucorrhoeam, mutationes diversissimas ominosissimasque uteri etc. — Sed interest et liberorum: namque magnam partem habet in corporibus animisque fingendis ingenium nutricis et natura lactis. Quod enim arbusculis contingit, ut scilicet ad mutandam earum indolem plurimum valeant aquae et solum, quibus nutriuntur, hoc multo magis in prolibus locum habet; si ergo frequenter accidit, ut arbor laeta et nitens, alium in locum translata, deteriori succo depereat, non mirum est, si parentum sanorum liberi, neque corpore, neque animo his similes existant, cum ipsis plerumque adhibeatur nutrix vitiosa. Praeterea mulierum crudelitate, quae suos partus deserunt, et a se ablegant, interscinditur, aut certe quidem deteritur vinculum illud animi et amoris, quo parentes cum prolibus natura colligat. Nam ubi infans procul a matris conspectu exulat, maternus amor sensim restringitur: ipsius quoque infantis affectus in ea solum conquiescit, cuius curis alitur, ac proinde, ut in pueris expositis usu venit, matris, quae illum genuit, vix ullus superest sensus, ullum desiderium. Quantum prolibus noceat aliena nutritio, sic describit Auctor Praedii rustici Libro 2. versus finem:

„At puer ingenuus, qui sub laquearibus aureis
Exoritur, tristi patrios mutare Penates
Cogitur exilio; positoque puerpera foetu
Foemina, dives opum, ventris cum pondere matrem
Exuit, atque boum mugitus inter, alendam
Rus aliquo sobolem domina procul ab urbe relegat:
Quaeque cani sugenda dabit, negat ubera nato:
Gibbere, distortis foedum vel cruribus, annos
Post aliquot, puerum recipit, quam plurima passum
Non oculo vidit, non pectoris indice motu."

§. VI.

Nolo tamen, ut omni, quasi ex Lege universali lactatio matri imputetur; sunt etenim casus, qui exceptionem patiuntur: imo et consulto medici prohibentur. Tales sunti si mater sit nimium debilis, Haemoptöe, Syphilide, aut febri depascente adfecta, aut Scrophulis, Rhachitidi in alto gradu obnoxia, alio quopiam contagioso, vel haereditario morbo laborans, si gravi mammarum malo vexetur, si demum parum lactis secernatur, illudque ab infante non feratur. — Si igitur qualiscunque ex his, aut his similibus, causis propria porrigere ubera prohibeat; seligant nutricem modestam, pacificam, hilarem, natam inter annum 18-um et 30-um, cuius partus paucis diebus a tempore nativitatis prolis distet, quae agendi et vivendi modum cum tenellis intelligat; valetudinis sit firmae et constantis; nullam labem in humoribus aut solidis saltem non multum timendam habeat, quae in nutriendum propagari possit; praecipue invigilandum an labe scrophulosa, scorbutica, venerea, scabie, verme solitario, verbo nulla vitae vegetativae aut animalis labe laboret. Sit mediae obesitatis, probatissima vero sit, quae quaedam de indole matris praeseferat; mammae nec flaccidae, nec nimis durae, aequaliter semiclypticae; papilla sit mediocris, nec

magna, nec nimis parva, haecque sit sensilis ita, ut si digito perfricetur, erigatur et durescat. Lac propinet utraque mamma, et illud habeat quantitate sufficiens, qualitate bonum.

Huiusmodi dein persona etsi ex infima plebe sumta, cum quadam distinctione tractari debet, nam meminisse oportet infantem eiusdem lacte ali, qui succus pretiosus ad omnem influxum noxium in nutricem agentem, noxiam acquirit indolem, et infans, vomitu, diarrhoea, convulsionibus corripitur, imo subinde exstinguitur. Ideo cibi ipsi dentur sufficienti quantitate et bonae qualitatis, potus tamen spirituosi, praeprimis initio lactationis ipsi non concedantur, famulitio est mandandum, ne illam ad iram, indignationem concitet, curandum, ut animo semper sit hilari, neque graviores labores perficiat. —

§. VII.

In casu autem illo, ubi mater vel moritur, vel propter causas supra allatas lactare non potest, nutricem vero solvere ipsi aeque arduum est; optimum erit, si lac asininum in usum trahatur, aut recens vaccinum, malum est ovile, pessimum caprinum, cum valde pingve sit. Lac desumatur ab animali sano, juveni et semper ab eodem, lac recens decoquatur et primis 6—8 diebus cum una parte aquae purae, vel cum decocto Altheae misceatur, tardius merum lac cum sacharo exhibeatur, ex instrumento suctorio, cuius apertura spongia et linteo mundo involuta sit, post 3 septimanas etiam mucilago hordei, orizae, ius carnis, panis biscoctus cum lacte et sacharo exhiberi possunt. Vitanda sunt viridaria et farinacea, nam priora flatus causant, posteriora non digeruntur et dolores, spasmos, alvum constipam provocant. Ubi denses prorumpere incipiunt caro tenera exhiberi poterit. Pro potu initio sit

lac, dein aqua. Cerevisiam, vinum, prout etiam coffeam, chocoladam et omnia aromatica dissuadeo. Pro jentaculo lac, aut coffea glandum quercinarum praecipue scrofulosis optime conducit. In genere victus parcus et per breviora intervalla infantibus propinetur potius, quam ut ad semel magna copia ciborum ventriculum onerent.

§. VIII.

Mense circiter 15-to infantes stare et ambulare discunt, in hoc negotio optimum est, infantes in cubili relinquere, ut se in tapetis, vel tegminibus libere volutent, tardius objectis adsistere, et sic circa sellas et alia objecta ambulare discant, semper tamen sub vigili oculo. Diversae machinae, ligulae ambulatoriae, corbes, sellae, curriculi ambulatorii summopere sunt noxia, facile enim luxationes, morbos pectoris, hernias, fracturas ossium et alia vitia provocant. Vectio in curriculis, ob eversionem, succussionem et insolationem in plateis commendari haud meretur, in cubili adhuc tolerari potest. Pessimum est, infantes per caput, brachia, vestes, vel lingulas capere et elevare, aut in gyrum vertere, nam haec omnia diversissima mala producere solent. Ad insistendum pedi aut ambulandum ne cogantur, antequam pedes debitum robur non habuerint, secus pedum, aut spinae dorsi curvaturae, vel diversa pectoris vitia oriuntur. —

Cum initio anni 2di facultas loquendi semet evolvat, parentes eo curam impendant, ut rerum nomina distincte pronunciare et bene loqui discant. Quia vero natura simus earum rerum tenacissimi, quae rudibus annis percipiuntur, maxime curandum est, ut pueri nihil, nisi bona et recta videant, audiant, quorum memoria usque ad senectutem eos prosequatur. Quam ob causam a famulorum consortio, quantum

fieri potest, removeantur; nihil est enim tam tenerum, tam flexibile, tam, quocunque inclinaveris, cereum, quam puerorum mentes. Plurimum igitur esset periculi, si cereis illorum animis multa imprimerentur indecora et obscoena, si inter famulos versarentur, qui plerumque corruptis sunt moribus. Invigilandum porro ne per inanes de spiritibus et spectris fabulas timidi efficiantur.

Relate ad somnum notandum est, quo junior homo, eo plus dormit, ideo dum somnus infantem obruit, impediri non debet, sed ponatur infans ad locum quietum, tenebricosum, moderate calidum, non alto loco, e somno non excitetur repente, aut cum magno strepitu; neque tamen somnus provocetur frictione fontanellarum, aut partium genitalium, commotione corporis, cantu, eo minus terrefactione aut opiatis, tam animo, quam corpori perniciosis.

Crepundia quoque peculiarem requirunt attentionem, ob materiale, colorem et formam. Ne sint confecta e metallis venenatis, non e vitro, neque colore venenato sint cincta; neque talem habeant formam, ut corpus laedere, aut functiones eius impedire possent, neque sensus obtundant, aut organa respirationis adficiant.

§. IX.

Pericula morborum optime praecaventur induratione corporis. Induratio haec nisi lente fiat et per gradus, a facilioribus ad difficiliora procedat; transitus enim ad altiores gradus, neglectis mediis debitem adhuc compagem corporis perturbat. Sit praeterea induratio corporis aequalis et universalis; aetatis quoque, corporis constitutionis, climatis, vivendique modi, nec non aliorum adjunctorum ratio est habenda. — Cibi duriores innocui esse possunt illi, qui corpus multum commovet. Vestitus levis in mitiore et con-

stante climate non nocet, in aspero et mutabili varios provocat morbos. — Contra variolas optimum prophylacticum est vaccinatio nunquam negligenda.

§. X.

Maximum influxum in constitutionem corporis habet: 1-o Aer, qui semper debet esse purus, et qua talis conservatur munditie ac frequenti cubilis ventillatione. Munditie neglecta diversi morbi cutanei, scorbutus, febris putrida et typhus evolvuntur, eo minus compages infantum tenera huic potentiae nocenti resistere poterit. — Temperaturam quoque valetudini convenientem esse oportet. Vehemens calor non minus noxius est, quam intensum frigus, praesertim repentinus ex uno in alium transitus. Mutationi tamen aeris sensim adsvefaciendae sunt proles, ne ipsarum valetudo cum omni vento ac tempestate mutetur.

2-o. Cibi et Potus. Cibi sint simplices bene et munde parati, neque tamen multo aromate conditi. Si infans cibum aliquem fastidit cogendus quidem non est, ut sumat, neque tamen eius gratia alter parandus, ut quo facilius ciborum diversitati adsuescat. Edendum, quantum satis, ut corporis vires reficiantur. — Necessarium prolibus nutrimentum subtrahere, fame easdem maccrare, ut graciliorem et pulchriorem corporis formam consequantur, insanum est; hac enim ratione diversis vitiis, uti: mendatiis, fraudibus, furtis praebetur occasio. Aeque perniciosum est nimio cibo proles farcire, unde vomitus, diarrhoea, febris gastrica aliique morbi nascuntur. Curandum porro, ut proles in usu nutrimentorum certo ordini tempestive adsvescant, neque extra praestitutum tempus manducent. Ad valetudinem magis conducit, si cibi paulatim sumantur, bene masticentur, quam si celeriter deglutiantur. Singularis attentio et eo dirigenda,

ne vesperi cibos stimulantes, flatulentias causantes, aut difficulter digerendos ingerant, neque ventriculo nimis farcto lectum ingredientes somnum petant.

3–o. Vestitus anni tempori sit accomodatus, neque incrementum corporis et artuum liberum motum impediat, hinc rejicienda sunt omnia angusta et constringentia indumenta, uti: collipendia thoracula, calcei, strictae caligae et quaevis stricta ligamina. Ne sint vestes nimis calidae, rigidae, cutim irritantes; caput imprimis magno calore non est fovendum.

Lectus mollis plumaceus, nimium calorem fovendo, soporem alit, et nervorum debilitatem producit, ipsi etiam innocentiae periculosus. Stramen purum, pulvinaria ex pellibus pilis equinis referta, tegumenta levia multo magis conducunt. Mane evigilantes, ne ignobili otio in lecto, ultra tempus somni protracto, indulgeatur, surgere jubeantur, facile enim tunc adolescentes incauti corrumpuntur, et tepore lecti stimulo genitali excitato ad onaniam deducuntur.

4–o. Habitatio sit alta, ampla, sicca et lucida, prospectu in liberum patente, in cubilibus enim humilibus, angustis, humidis, abstrusis, et non satis illustratis sanitas facile perturbatur. Removenda e cubiculo prolium superflua impedimenta, praesertim talia, quibus se facile laedere possent.

5–o. Mundities et ordo magnum influxum non tantum in corpus, verum etiam in animum habent, his igitur a prima aetate proles adsvefaciendae sunt; hinc mane quamprimum expergefiunt statim surgant, faciem, manus aqua frigida abluant, se munde induant, Creatori optimo de nocte feliciter transacto gratias agant, jentaculo dein sumto, occupationes utiles perficiant. Vesperi antequam decumbunt crepundiis, libris, instrumentis scriptoriis, cunctis denique, quorum cura ipsis comittitur in ordinem redactis, absolutisque precibus vespertinis se decenter exuant et noctu pacate

dormiant. Ad conservandam munditiem et corpus roborandum multum confert balneatio, natatio, hiemis tempore lotio cum aqua frigida. — Munditiem et ordinem vel maxime puellae colant, ut quondam bonae matres, excellentesque oeconomae evadant. Luxus, moribus summe perniciosus, sollicite vitetur. —

6-o. Motus corporis moderatus sanitati maxime amicus nunquam negligatur, et tempestate minus favente quoque suscipiatur, ut sic proles mutationibus athmospherae adsvefiant; curandum tamen ne commotio sit vehemens nec diuturna, paulo vero ante, et post cibum sumtum validior motus non suscipiatur. Ubi fieri potest, exercitia gymnastica non negligantur. — Si motus corporis sufficiens locum habere non posset, tunc continuo laboribus, non tamen ingratis, aetatis suae convenientibus occupentur, et nunquam in otio sibi soli relinquantur. Maximam hoc respectu attentionem puellae merentur, quae in civitatibus passim ad vitam sedentariam condemnatae labores perficiunt in cubilibus aëre corrupto plenis. Hinc plurimae puellae in civitatibus sunt debiles, tenerae, pallidae, morbis spasmodicis, imprimis hysteriasi obnoxiae, prolem in utero gerere non valent, sed abortum patiuntur, vel saltem graviditatem molestam, et partum difficilem habent. Optime autem mala haec avertuntur, si puellae ad varios etiam labores in culina, horto, aere libero perficiendos adigantur.

§. XI.

Ut tamen fini educationis omni ex parte respondeant, parentes, prolibus suis non modo alimenta praestare, teneros eorundem artus fovere, externas ab iis injurias removere, atque adeo sedulam debent adhibere curam circa corpus, sed etiam solliciti sint oportet circa mentem, et circa statum

externum illarum; in eo siquidem sita est recta prolium educatio, ut ita instituanter, educenturque a teneris, quo recte constitutioni ac felicitati generis humani inserviant, ac prospera vitae conditio, sed maxime animi cultura earumdem promoveatur, quo idonea et utilia societatis humanae ac reipublicae membra evadant, suaque erga Deum, semet ipsos, et alios officia doceantur. — Attamen vires animi nec praemature, nec immodice sunt adstringendae, utrumque enim earum labefactationem post se trahit, ipsa quoque compages corporis periclitatur. Nam sicut corporis, ita animi virium evolutio habet suam a natura definitam periodum, quam impune transgredi non licet. Natura primis annis potissimum formando et roborando corpore occupatur, unde qui aetate hac vires animi intendunt, corpore deficiunt, fiuntque cum tempore hebetes, imbecilles, morbidi, miseraeque vitae mors praematura saepissime imponit finem. Ne igitur cultura facultatum mentis praemature suscepta tristes habeat sequelas, oportet, ut non omnes eodem tempore, sed sensim, aliae post alias juxta certum ordinem excitentur et evolvantur.

Quamprimum infantes incipiunt rite cogitare, in id praecipue adlaborandum est parentibus, ut teneros etiamnum liberorum animos, instarque cerae in omnem partem flexu faciles, tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem rite excolant, instituantque ad gloriam et obsequium conditoris, ac gubernatoris naturae Dei, ad utilitatem et felicitatem societatis humanae, ac reipublicae. Non enim ad augendum praecise hominum numerum, frugesque consumendas concessi a Deo parentibus sunt liberi, sed ut probis moribus, actionibusque legi conformibus illius perfectiones manifestent, gloriamque auctum eant, ac felicitatem et salutem humanae societatis, reipublicaeque promoveant. Quare prae omnibus aliis supremi numinis notitia, remotisque erroribus, illarum rerum cognitione intellectum eorum imbuere, aut

sua, aut aliorum opera parentes debent, quae ad vitam probe agendam, praestanda rite debita tum Deo, tum sibi, tum aliis officia, procurandaque sive in toga, sive in armis, sive in aliis artibus reipublicae commoda faciunt. Quo plurimum confert, si parentes malorum principiis obstent; occasionem videndi agendique prava praecidant; recte ipsi agendo virtutem honestatemque exemplo magis, quam verbo doceant; in familia bonos solum, probosque minime vero discolos ac pessimae farinae homines tolerent, neque nimium educationem probam liberorum differant, sed mature, sexto ut minimum, septimoque anno auspicentur; aptissima siquidem haec aetas est, ut in omnem partem flectatur. — Proderit autem plurimum, si longe a matris conspectu, et familiaribus blanditiis adolescentes, non privatim, sed publice erudiantur, ut ingenia cupiditate quadam gloriae, et aemulatione, aliorum velutistimulo, incitentur, uti *Aristoteles* et *Quintilianus* (de instit. orat. lib. 1. cap. 2) perspicuis argumentis demonstrant. Postquam autem eos Magistris educendos commiserint, non idcirco se se ab omni cura solutos existiment; verum, qui sint eorum progressus, quae agendi ratio, qui mores, diligenter inquirant. —

Educatio porro *disciplinam* et *culturam* requirit. *Disciplina* tempestive et impense cavere debet, ne in prima et tenera aetate oriantur, vel praeparentur vitia, quae hominem ac civem maxime dehonestant, et infelicem reddunt, v. gr. egoismus, desidia, divitiarum admiratio, ambitio etc. quod fit incutiendo menti tenerae efficacissimas ignominiosae, et pestiferae illorum vitiorum indolis ideas, quae deinde celeriter accurrant, atque vitiorum irritamenta quaecunque in fugam agant, aut certe debilitent. *Cultura* vero, in institutione et exercitatione posita efficit, ut liberi evadant homines moraliter boni, et pragmatice utiles, adeoque sorte sua contenti. Disciplinae et culturae vim

plane non intelligunt ii, qui illam in severitate, metu et castigationibus maxime ponunt; ea est vera disciplina, quae sensum honesti a natura insitum elicit, atque institutione tempestiva, et institutis idoneis juveniles mentes ad honestatis cognitionem, et amorem adducit; quod nemo efficiet, nisi ipse generoso incoctum pectus honesto habeat, neque illud per suam vivendi rationem continuo abneget. Severitas sola hoc tantum efficit, ut honestum simuletur, pravitas vero dissimuletur, qua in re societati civili nihil nocentius cogitari potest. — Corrigendi sunt et puniendi liberi a parentibus, eorumque vicariis, dum opus fuerit, non tamen ultra modum, ne ad iracundiam promoveantur; affectus enim eorum cum erumpunt ab initio sunt reprimendi, neque ipsorum vitiolis blandiendum est, ne ea licere sibi persvadeant; moderate autem, nec nimis severe id praestandum, quia nimia poena ingenium liberorum obtunditur. Hinc Quintilianus (instit orat. libr I. cap. 3) puniendos quidem pueros censet, ubi res id exigit, at nunquam plectendos, quia majora exinde mala, quam bona proficiscuntur. Vox imperiosa, vultus minax, dolores aberrantibus inflicti, mentem tenellam amaritudine implent, quae ultra rudes annos manet. Tantum vero abest, ut vis intempestive et multum adhibita corrigat voluntatem, ut potius cautiorem, astutiorem, mendacem, et subinde pervicacem reddat. — Doctrinam vero eiusmodi Pseudo-Magistri ita instituunt, ut juvenes divinarum, moralium, aliarumque utilissimarum rerum, non veras et firmas ideas, verum voces omni sensu vacuas, inter metus et angores scuticarum et virgarum, illos, nisi sine errore eas deblateraverint, certo certius mansurarum, memoriae imprimant, quo fit, ut et juvenes, et alii in eam opinionem veniant, ab illis intelligi, quae plane non intelligunt. Inde vero pendet, ut tales deinceps etiam in satis perspicua et so-

lida doctrina nihil vere percipiant ac teneant, neque in vita illorum menti et animo insideat, quo scientiae ac honestatis specimina edant. — Videant igitur Parentes, cui fidant, dum tenellos suos educandos tradunt. — Ad exstimulandas proles praemia quoque sunt necessaria, sed non signa ridicula, bellaria, verum collaudatio et proemia utilia. Sive autem poena, sive proemium promittatur, semper promissis stare oportet. —

Maximo demum conamine impediendum, ne vis imaginandi per sermones lascivos, libros, picturas, choreas, theatra exaltetur, et ad stimulum partium genitalium experiendum deducat. Et vero quidquid mundi sapientia, genius et mos temporis oggerat, a choreis raro perversionis pericula absunt, praesertim ab iis nunquam, quae ab utriusque sexus juventute non sine amatoriis contrectationibus, colloquiis, aliisque carnalis amoris irritamentis cupide frequentantur, et in seram noctem producuntur. Hinc non solum triste, sed etiam reprobatione summa, altiorique superinspectione dignum esse judico, quod moderna aetate juvenibus cum personis alterius sexus adeo illimitatae confidentiae conversatio, si non aperte indulgeatur, nequiter tamen et per summam in hoc puncto incuriam dissimuletur. Illius aetatis annis, quibus sensualitas et phantasia tam praepotens in homines exercent imperium, juvenes et puellae notitias contrahunt, nisus sexualis eos ad invicem attrahit, phantasia mutuas illis perfectiones fictas utique, attribuit; et sic se cum omni illa aetati suae propria exaestuante cupiditate infrenataque passione amare incipiunt. Separantur tandem, juvenibus aliorsum commigrantibus, suique mutuo obliviscuntur. Puella per notum amoris commercium ab omni alia conjunctione exclusa, aut omnem, coeco impetu passionis acta, sponte rejiciens, confidit amato a se juveni et ob levem, aut nullius mo-

menti praetextum ab eo deserta, miserabiliter lamentatur. Amaritudo, odium, diffidentia erga genus masculinum, profundas in eius corde radices agere incipiunt, et si postmodum etiam cum aliquo conjungi viro eam contingat, cuius gaudium esse potuisset et debuisset, eius infernale onus evadit, sicque felicitatem millenarum familiarum funditus everti necesse est. — Quodsi ludi scenici ratione substrati sui, aeque ac productionis eiusdem, ad leges honestates rite semperque exacti sint, servire eximie possunt ad mentem, animumque ac sensus jucunde, utiliterque occupandos ac pascendos; item ad varii generis vitia et naevos, hominumque stultitias valide ac scite ante oculos ponendas, attico sale perfricandas, contemtui exponendas, atque ita emendandas; imprimis ad pulchri et decori gustum acuendum, sermonem excolendum, majorem agendi dexteritatem comparandam, atque ad mores etiam populi formandos. Unde, si quidem id omne, ut dixi, quod moralitati periculum creare posset, ab iis removeatur, spectare illos et adire generatim ad innocuas utilesque jucunditates referendum erit. At quia ad spectatores magis alliciendos ea solum exhiberi consveverunt, quae genio mundano, et sapientiae mere carnali arrident; ideo revera plurima contra hos lusus obmoveri possunt. Praesertim stimulus sexualis prae reliquis vehemens, frequentissimum thema suppeditat, adeo ut nihil oblectet, nisi libidinem sapiat. Insuper affectus vindictae, duella, sui ipsius caedes, turpes amores, fraudes et perfidia ita saepe exhibentur, ut admirationem potius at assensum, quam horrorem excitent. Si ergo sola lectio fabularum, quas romanenses dicimus, plurimum nocet, quid fiet, ubi amatoriae artes, libidinis illecebrae ac fallaciae non leguntur saltem, sed ad vivum repraesentantur? Quantum huiusmodi spectaculis permotus olim fuerit, sic ingenue confitetur Augustinus: „Rapiebant

me spectacula theatrica plena imaginibus miseriarum mearum et fomitibus ignis mei.“ (Lib. 2. conf. cap. 2). — Quantam moribus perniciem inferant ludi scenici, censurae morali haud subjecti, non semel confessi sunt ipsimet scriptores gentiles. Ovidius, quem infortunia meliorem ad sensum revocaverant Triss. libr. 2. sic canit:

„Ut tamen hoc fatear, ludi quoque semina praebent
Nequitiae: tolli tota theatra jube,
Peccandi causam quam multi saepe dederunt.“

§. XII.

Postremum, quod Parentibus incumbit, est, ut liberos a se educatos, ubi hi ad eam pervenerint aetatem, ut reipublicae esse utiles, sibique ipsis consulere, atque res suas curare valeant, ne in eligendo vitae genere irreparabili forte suo in omnem aetatem damno misere aberrent, consilio et ope juvare non intermittant. Qua tamen in re cavendum est sedulo, ne coeco liberorum amore abrepti, aut inani spe seducti, per vim et necessitatem ad arripiendum genus aliquod miseras compellant proles, a quo istae toto animo abhorrent, quodque vel ipsimet arripere nollent. Id siquidem agendo, plurimi et liberos, et semet ipsos felicitate in omnem vitam privarunt. —

Kann auch der Schriftsteller keine neuen Ideen schaffen, so vermag er doch die alten in neue Formen zu bringen, und wie die Lebenskraft in der ganzen Natur die nämliche, und es nur die Gestalt ist, welche in der Wesenkette ein Geschöpf über das andere stellt; so wird auch der ewige ungeborne Gedanke durch einen edlern, oder gemeinern Ausdruck edler, oder gemeiner dargestellt — und der Pflegevater ist auch ein Vater.

Börne.

Theses.

1. Educatio prolium physica et moralis jam in foetu inchöet est necesse.
2. Infantes proprio, si sana firmaque corporis constitutione gaudeat, matris lacte sunt nutriendi.
3. Antiquitatis et novitatis studio Medicus perficitur.
4. Nullius scholae nomen ferat Medicus.
5. Praesagium in Ophthalmiis semper restringendum.
6 Diagnosis in infantibus difficillima.
7. Arthritis a Rheumatismo differt.
8. Praestat unum casum observasse, quam centum legisse.
9. Medicus juvenis a praeconceptis ingenii sui opinionibus abstineat est necesse.